



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Qvæstio X. De Scientiâ Beatâ Animæ Christi. In quatuor Articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

initio, ita & hanc scientiam; quia non minus hæc scientia est ipsa naturalis, quam gratia. Sicut enim gratia dicitur Christo naturalis, quia debita naturæ humanæ sic Verbo unitæ, & Verbum vi suâ contulit illam naturæ assumptæ; ita & hæc scientia naturalis dicitur, imò amplius, cum sit perfectio naturalis humanæ naturæ.

16
Quarta.
Ab initio.
uenienti.

Quartò, Si Christus illam studio comparare debuisset; sequeretur Primò, Multum laboris & temporis in eo ponendum fuisse. Nam hæc scientia, ex rerum quæ sub sensum cadunt; consideratione & collatione; mediante ratiocinatione ducitur: atqui non decet Christum cælestium Doctorem, infimarum rerum consideratione & inuestigatione occupari. Secundò, Sequeretur ipsum per totam vitam non peruenisse ad culmen huius scientiæ. Nam opus est longissimo tempore, vt quis omnia experiatur: Christus autem non diu vixit, & interim pauca est expertus circa res naturales; v. g. genera animalium, plantarum, & eorum quæ in visceribus terræ latent; quæ tamen experientia, id est, per sensus cognitio, necessaria est vt humano more scientia comparetur. Quòd autem Caietanus infra quæst. 12. artic. 1. vult persuadere ministerio Angelorum res omnes ipsius sensibus obiectas, vt ex illis philosopharetur; parum est probabile. Præterea, multa sunt quæ egent obseruatione longissimi temporis; vt ea quæ pertinent ad Astrologiam. Denique discursus humanus maximè in Mathesi procedit in infinitum, ita vt solâ industriâ humanâ non possit perueniri ad terminum.

17
Quinta.

Quintò, Quia Christus habuit virtutes morales ordinis naturalis infusas ab initio, vt supra dictum est, & D. Thomas fatetur: ergo etiam scientias naturales. Patet consequentia, quia non est ratio, cur voluntas debuerit potius in ordine naturæ esse perfecta, quam intellectus. Confirmatur, Quia cum virtutibus moralibus necessariò debuit infundi prudentia, quæ ad intellectum pertinet: atqui prudentia omnino perfecta, supponit perfectam cognitionem principiorum moralium, & eorundem conclusio- num; item perfectam cognitionem animæ humanæ, & omnium eius motuum: ergo omnem hanc cognitionem naturalem habuit Christus à principio: ergo etiam ceteras scientias; præfer-

tim cum vna scientia non sit omnino perfecta sine alia.

Denique, Quia Christus à principio conceptionis utebatur ratione: ergo fuit optimè dispositus intellectu ad illum usum; ac proinde per habitus scientiarum. Antecedens docet D. Augustinus lib. 2. De peccatorum meritis & remissionibus cap. 29. vbi ait in Christo infante non fuisse impedimentum vsus rationis, quod in alijs parvulis cernitur. Cuius ratio est, quia tum ratione vnionis, tum ratione beatitudinis, debebatur illi Animæ corpus ex omni parte perfectum: vnde non oportebat, vt admitterentur in eo aliqui defectus, nisi quatenus id necessarium erat ad nostram redemptionem: atqui hic defectus corporis, quo impeditur vsus rationis, nullo modo erat necessarius ad nostram redemptionem, quin potius erat contrarius: ergo corpus infantile non impediēbat vsum rationis, aut sensuum interiorum. Vnde sequitur, Christum infantem potuisse vti ratione, cum conuersione ad phantasmata, id est, phantasiâ simul cooperante, & efformante id, quod ratio intelligebat. Nam facilè poterant sensuum organa, diuinâ virtute corroborari ad hanc functionem; ita vt vis illa quæ deerat organis ob defectum siccitatis, diuino auxilio suppleretur. Sicut ad breue tempus accidit in Ioanne Baptista.

18
Sexta.
Christus
à primo
infanti
conceptio-
nis habuit
vsu[m] ra-
tionis.

Nunc respondendum ad rationes contrariæ sententiæ. Ad Primam, Eodem argumento probaretur, intellectum agentem fuisse superuacuum in Adamo; nam accepit à Deo omnes scientias, non autem operâ intellectus agentis; similiter & in omnibus parvulis qui moriuntur ante vsu[m] rationis; nam nullam scientiam industriâ humanâ acquirunt. Quare dicendum est, potentiam non esse superfluum, quæ ad naturæ integritatem pertinet, etsi diuinitus præueniatur, vt nunquam operetur. Addo; Intellectum agentem, non esse reipsâ distinctum ab intellectu possibili, quo intelligimus: vnde licet non habeat illam functionem, quæ est species intelligibiles comparare, (quam operationem solam habet ob defectum naturæ) habet tamen functionem præcipuam, quæ est, scientiâ vti. Ad Secundam, Patet ex dictis in argumento tertio; perfectius enim est habere ab initio, quam sensim suo labore comparare.

19
Responsio
ad contra-
rias senten-
tias.

Q V Æ S T I O X.

De Scientia Beata Animæ Christi.

In Quatuor Articulos diuisa.

NOta, Ex dictis constare in Christo esse quadruplicem scientiam; scilicet Diuinam, Beatificam, Infusam, & Naturalem. Itaque agit de cuiusque perfectione; omnes enim in Christo fuerunt summæ, & secundum intensionem, & secundum extensionem. Verum de scientia diuina, dictum est in 1. parte quæst. 14. vnde solùm agit de reliquis tribus.

ARTICVLVS I.

An Anima Christi comprehenderit Verbum?

Respondetur; Anima Christi non comprehendit Verbum, siue diuinam essentiam. Est certa, & communis omnium Doctorem. Vi-

2
Negatur,
detur

G g

detur de fide; quia Scripturæ & omnes Patres docent Deum esse incōprehensibilem omni creaturæ. Ad Romanos 11. *O altitudo diuitiarum Sapientie & Scientie Dei! quam incōprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles via eius!* & infra. *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Quod si iudicia eius incōprehensibilia, multo magis eius essentia. Idem significatur Ieremie 32. *Magnus consilio, & incōprehensibilis cogitatu,* id est, secundum suas cognitiones & consilia. Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.* Vbi Christus loquitur ut homo, secundum Haymonem & Cassiodorum; & dicit se non posse ad diuinam scientiam, quia est incōprehensibilis; vt exponit D. August. in illum locum. Vide Dionys. lib. 1. De diuin. nominibus cap. 1. & 7. & cap. 1. Mysticæ Theologiæ. Et Ratio est, Quia ad comprehensionem cognitionis, requiritur vt tam perfectè cognoscatur, quàm est cognoscibilis; id est, quàm postulat ipsius perfectio; Ita vt nihil eius lateat videntem, vt inquit Augustinus epist. 112: atqui est cognoscibilis infinite, sicut & infinite est amabilis. Vnde nullum lumen exæquatur eius cognoscibilitati nisi infinitum, quod creaturæ communicari non potest.

³ Dices; D. Fulgentius in Responsione quæst. 3. ad Ferrandum Diaconum, dicit esse sanitati fidei penitus alienum affirmare Animam Christi non plenam suæ Deitatis habere notitiam. Quod autem intelligat notitiam comprehensiuam, Patet; quia paulò antè ait, *Magnitudinem Creatoris omnibus quidem Angelis esse incōprehensibilem: non autem eandem esse rationem illius anime, quæ assumpta est in vnitatem persone: Nam, ait, habuit spiritum sine mensura.* Vnde infert: ergo non habuit minùs sapientiæ, quàm ipse spiritus. Deique in hoc tantùm distinguit notitiam Dei, à notitia animæ Christi; quòd anima illa nouit quantum Deus, non autem sicut Deus. Nam Deus ita nouit vt sit sua notitia; anima autem non est sua notitia, sed illam accepit à Deo per gratiam.

³ *Obiatio 2 D. Fulgentii.*
Respondeo; Hoc testimonium Fulgentij, sicut & multa alia ibidem, est valdè difficile; nisi dicamus ipsum loqui de notitia increata, quæ huic animæ per vnionem hypostaticam est communicata; per quam hæc anima, vt vna persona cum Verbo, vel potius ille homo comprehendebat diuinitatem suam. Quòd autem de hac loquatur, colligi potest, tum, ex testimonijs Scripturæ, quæ adducit; quæ nihil aliud conuincunt: tum, quia dicit illam animam esse vnã personam cum Verbo, ac proinde ipsam sapientiam diuinam; quare non posse illam hoc modo ignorare suam diuinitatem.

ARTICVLVS II.

Vtrum Anima Christi in Verbo cognouerit omnia?

⁴ *Non nouit omnia que sunt in potentia Doctorum in 3. dist. 14. sententia Dei.*
Respondetur tribus Conclusionibus. Prima est: Anima Christi non cognoscit omnia quæ sunt in potentia Dei. Est communior sententia Doctorum in 3. dist. 14. Probatur; Quia si cognosceret in Verbo omnia, quæ Deus potest facere, comprehenderet

diuinam virtutem: Nam quòd plures effectus cognoscuntur in causa, eò magis penetratur causa. Ergo si omnes effectus Deo possibiles, in ipso, tamquam in causa cognoscantur, ipse omnino comprehendetur. Sicut si quis ita perfectè cognoscat naturam Solis, vt ex vi illius cognitionis cernat omnes effectus, quos sol potest producere; sine dubio solis virtutem comprehendit. Atqui impossibile est diuinam virtutem à creatura comprehendì: ergo &c. Vide plura in 1. p. quæst. 12. art. 8.

Secunda Conclusio: *Anima Christi videt in Verbo omnia, quæ Deus cognoscit Scientiâ visionis, saltem vsque ad diem iudicij.* Est D. Thomæ hoc loco: & cum hac limitatione (*saltem vsque ad diem iudicij*) omnium Theologorum.

Probatur; Quia omnes Beati vident in Verbo omnia quæ ad suum statum pertinent; vt communior opinio tenet; sed hæc omnia pertinent ad Christum; quia ipse est omnium Dominus. Deinde, Ipse est supremus omnium Iudex; ergo debet exactè & simul nosse omnium facta, dicta, & cogitata, vt iustam mensuram præmij vel supplicij cuique decernat. Quo argumento satis firmiter probatur Filium hominis, cui omne iudicium Pater dedit, cognoscere omnia, quæ ab initio mundi, vsque ad finem fiunt à creatura rationali.

Hinc satis probabiliter colligitur eum cognoscere etiam alia; nempe quæ à creatura irrationali fiunt; præsertim cum longè difficilius & sublimius sit, intueri omnes cordium cogitationes, quàm creaturas irracionales, eorumque motus. Deinde habent hæc sæpè connexionem cum factis hominum.

Ex eodem fundamento multi colligunt Christum cognoscere etiam in Verbo omnia, quæ post iudicium, in omnem æternitatem futura sunt; id est, omnes blasphemias internas & externas damnatorum; & omnes cogitationes & laudes Sanctorum. Aduertit tamen, hanc rationem non videri valdè firmam, quoad ea quæ post iudicium in omnem æternitatem fiunt. Est enim Anima Christi scire debeat omnes omnium hominum cogitationes, & actiones, quæ vsque ad diem iudicij fiunt; tamen nulla est necessitas vt cognoscat distinctè in Verbo omnia, quæ fiunt postea in omne æuum. Primò, Quia hoc non videtur ad eius statum pertinere, cum non sit credibile singulos, suas omnes cogitationes futuras, visuros. Deinde, Quia parui videtur referre, quam quis cogitationem aut volitionem, hoc aut illo momento habeat. Cur ergo debeat hoc ostendi in Verbo? Tertio, Quia valdè probabile est creaturam non posse videre infinita, actu distincto & perfectò; vt docent Scotus, Bonauentura, Gabriel, Richardus in 3. distinct. 14. & Henricus Quodlib. 5. q. 14. vnde negant Animam Christi videre actu infinita. Et ratio est; tum, quia ad hoc videtur requiri lumen infinitum; tum, quia attentio infinita; tum, quia essent infiniti respectus, saltem formaliter distincti, & fortassis infiniti actus. Neque tamen hinc sequetur Animam Christi quidquam horum ignorare; quia sicut assistit ei omnipotentia Dei ad opera miraculosa, quæ voluerit; ita dici potest assistere Sapientia, ad reuelanda ea, quæ scire de his voluerit; ita vt rectè dici possit scire omnia illa in habitu.

Dices;

Obiectio 2
D. Thomae.

Dices, D. Thom. ad 2. ait, Animam Christi cognoscere omnia, quae Deus scit scientiâ visionis. Et ad 3. ait, Scientiam Animae Christi parificari scientiâ visionis, quae est in Deo: atqui Deus scientiâ visionis cognoscit infinita; scilicet omnes cordium cogitationes, quae erunt in omne aeuum; vt ipse docet 1. p. q. 14. art. 12.

Explicatio

Responderi potest, Per scientiam visionis D. Thomam hic intelligere eam qua Deus videt omnes substantias, quae aliquando extrabunt. Quod patet, Quia lib. 1. contra Gentes cap. 69, quod Opus conscriptum est post primam partem, expressè ait, Deum non cognoscere infinita per scientiam visionis; Nam, inquit, generatio, neutra ex parte est infinita. Idem confirmatur ex ijs quae habet Articulo sequenti vbi ait Christi Animam scientiam visionis non cognoscere infinita. Nec obstat quòd hic in Corp. dicat, Christi Animam cognoscere omnia dicta, facta, cogitata, à quocumque, secundum quocumque tempus: quia tempus, solum extenditur vsque ad finem saeculi, quando caelum cessabit; iuxta modum loquendi D. Thomae. Nec ratio D. Thomae aliud conuincit; scilicet, quia Christus est omnium Iudex.

8
Videntur
hec in Verbo
tripliciter.

Petes, Quomodo haec videantur in Verbo? Respondeo; Tripliciter id fieri posse. Primò, videndo essentiam diuinam, quatenus est visio & conceptus futurorum: potest enim diuina essentia ita cooperari cum intellectu beati, vt ostendat ei determinationes suae voluntatis, vel scientiâ; id est, suas cogitationes, & consilia. Secundò, Per reuelationem seu locutionem Dei, quam mens in seipsa per lumen gloriae potest intueri; Sed haec duae cognitiones non sunt intuitiue futurorum. Tertiò, Probabile est posse etiam videri intuitiue. Sed videtur id fieri non posse ex nuda visione essentiae tanquam causae: quia diuina essentia non est causa multorum futurorum, vt peccatorum: quorumdam etiam solum est causa vniuersalis & adiaphora, id est, indifferens, in qua effectus distinctè cerni non potest. Quare essentia diuina in hac visione se habebit

Non tamen
intuitiue
ex nuda
visione es-
sentiae.

Nec per es-
sentiam qua
si species
intelligibi-
lem.

non vt causa, sed vt species intelligibilis: cum enim ipsa sit infinita, etiam in ratione praesentandi potest representare omne verum; & concurrere cum intellectu creato, vt species illorum vel horum obiectorum. Tamen ex hoc solo cursu diuinâ essentiae, non possunt videri futura intuitiue; quia intuitiuè potissimum ex vi luminis pendet: species magis deseruiunt apprehensioni & cognitioni abstractiue. At non videtur posse dari lumen creatum, quod vi sua, in futura, tanquam in praesentia feratur: ad hoc enim infinita quadam efficacia requiri videtur: Adeò enim sublimis est haec cognitio futurorum, vt passim in Scripturis soli Deo tribuatur; & vix intelligi queat quomodo in ipsum conuenire possit, nisi fides nos confirmaret. Deinde nulla est luminis mensura, quâ necessariò futura cernantur; cum omnis illa mensura dari possit, etiam si non esset aliquid futurum. Quare vt haec videantur, opus erit specialissimo influxu Dei, quo intellectum lumine gloriae collustratum, altissimo modo tanquam in existentia dirigat, supra omnem vim creatam. Quo modo, quorundam sententiâ, per res creatas opera miraculosa, & effectus Sacramentorum perficit.

Sed per spe-
cialem Dei
concursum.

Dices, Marci 13. vers. 32. dicitur: De die

autem illo vel hora, nemo scit, neque Angeli in caelo, neque Filius; nisi Pater. Et Matthaei 24. solus Pater dicitur scire diem iudicij.

Respondeo, Omissis varijs expositionibus; Explicatur quo sensu Christus ignoret die iudicij. certum est, Christum cui omne iudicium dedit Pater; diem iudicij non ignorare. Dicitur itaque nescire tanquam legatus Dei, nempe vt alijs manifestet. Ita Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus in cap. 24. Matthaei. D. Ambrosius lib. 5. De fide ad Grat. cap. 8. D. Basilius lib. 4. contra Eunomium. D. Augustinus lib. 1. De Gen. contra Manichaeos cap. 22. & lib. 1. De Trinit. cap. 12. & alibi. D. Gregorius lib. 8. epist. 42. hoc enim modo saepe loquitur Scriptura, vt Ioannis 15. vers. 15. Quaecumque audiui à Patre meo, nota feci vobis; id est, quaecumque audiui vt legatus & nuntius, pro hoc tempore vobis manifestanda. Consentit etiâ communis modus loquendi, quo dicimur nescire ea, quae sub secreto accepimus: & Legatus dicitur nescire ea, quae sunt extra, vel contra munus legationis.

Dices Primò, Etiâ Pater potest hoc modo dici nescire diem iudicij; scilicet vt alijs reuelat.

Respondeo Negando Assumptum; Quia Pater non obit legationem ad homines docendos, vt Filius. Vnde Rex etsi nolit alijs sua secreta patefacere, tamen non dicitur ea nescire; Sicut legatus dicit ea se nescire, quamuis priuatim sciat. Deinde Pater est primus fons huius reuelationis, à quo innotescit Filio, & Spiritui sancto.

Dices Secundò, Scriptura dicit ibidem etiam Angelos ignorare diem iudicij; at hi simpliciter ignorant: ergo & Filius.

Respondeo; Ex hoc loco non omninò constat, vtrum Angeli etiam dicantur nescire sibi, an solum ad alijs reuelandum. Probabilius tamen videtur eos absolute nescire; vt docet Scotus in 4. dist. 43. quaest. 2. art. 2. quia non erat occasio ita loquendi seu intelligendi de Angelis. Hinc tamen non sequitur Christum absolute nescire: nam longè est alia ratio de Christo, cui Pater omne iudicium dedit.

Tertia Conclusio: Præter hac, Anima Christi 10
cognoscit omnia possibilis qua in potentia creatura con-
tinentur. Est communis sententia Doctorum. Cognoscit
possibilis
creatura.
Ratio est; Quia cognoscit omnes creaturas, earumque coniunctiones & combinationes comprehensiuè; ac proinde totam illarum virtutem, saltem quoad effectus in specie sumptos. His ad-
de; Christum præter hac intelligere multa soli Deo
possibilia.
Et multa
soli Deo
possibilia.
Deo possibilis: nam ceteri Beati pro mensura diuini luminis plura vel pauciora ex his cognoscunt, licet nunquam sint futura: ergo plurima ex his cognoscit Anima Christi; quamquam adhuc infinita restent illi incognita.

ARTICVLVS III.

Vtrum Anima Christi in Verbo cognoscat infinita?

Respondetur; Cognoscit infinita in potentia, non tamen infinita actu. Vbi Notandum est vtramque partem intelligi de infinitis substantijs; vt docet Caietanus hoc loco, & ratio D. Thomae postulat.

Gg ij Prior

In causis naturalibus non latent infinita species substantiarum.

Latent in eis infinita individua, que tamen nequeunt distincte in eis cognosci.

Prior pars Probatur, Quia in Verbo cognoscit omnia quæ sunt in potentia creaturæ: atqui hæc sunt infinita: ergo cognoscit infinita in potentia. Sed aduerte, hanc rationem non videri omnino firmam. Primò, Quia credibile est virtute causarum naturalium, non posse fieri infinitas species substantiarum: feminum enim diuersitas finita est. Quæ verò ex putri materia gignuntur, etiam finita esse videntur. Neque videntur hæc infinitis modis posse misceri; quia ferè omnibus sæculis eadem proueniunt, & pauca noua emergunt. Deinde; Quia alioquin Angeli naturaliter infinita actu cognoscerent; nam comprehendunt virtutem cælorum & elementorum. Individua quidem quæ in potentia creaturæ continentur, infinita sunt; sed non ex eo, quod vis creaturæ comprehenditur, etiam omnia, quæ ab illâ produci possunt, distincte cognoscuntur; alioqui Angeli etiam naturaliter cognoscerent infinitum. Ratio est; Quia indiuiduatio pendet etiam ab influxu diuino; & fortè à determinatione diuinæ voluntatis. Ideo enim agente igne, hic potius ignis, quàm ille emicat; quia præter causas & circumstantias creatas, quæ ad indiuiduationem, vel directè vel occasionaliter concurrunt, etiam Deus tali influxu concurrat; & fortassis decernit sua voluntate, vt hoc potius, quàm illud indiuiduum fiat.

12. Secunda pars Probatur: Numerus omnium substantiarum, quæ vmquam futuræ sunt, est finitus; nam ortus & interitus finem capient: ergo Christi Anima non cognoscit in Verbo infinitas substantias actu existentes. Hinc sequitur iuxta

D. Thomam Christi Animam simplici intelligentiæ, quæ est possibilium, cognoscere infinitas substantias, non tamen scientiæ visionis. Fortè tamen non vult illas infinitas substantias omnino distincte cognosci, sed confusè; pro vt fas est creaturæ. Sicut quando cognoscitur vniuersale, cognoscuntur quodammodo infinita: vt insinuat ad 2.

Explicatur D. Thomas de cognitione scientiæ infusæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Anima Christi clarius videat diuinam essentiam, quàm alia quauis creatura?

13. Respondetur affirmatiuè. Ratio est, Quia est coniuncta Verbo hypostaticè: ergo oportet vt clarius cernat ipsum Verbum, quàm quauis alia creatura, non tam arcè coniuncta. Notandum est, Sicut gratia habitualis Animæ Christi, est summa secundum potentiam ordinariam, vt supra dictum est; ita & lumen beatificum, & visio beatifica est summa secundum eandem potentiam. At iuxta potentiam absolutam potest dari perfectius lumen, & perfectior visio; nam hæc, sine termino possunt augeri. Vnde fallitur Caietanus, dum existimat visionem beatificam Animæ Christi esse summam, iuxta potentiam absolutam. Vtrum autem Angelus cum eodem lumine perfectius esset visurus Deum, quàm Anima Christi, non est huius loci.

Q V Æ S T I O X I.

De Scientia per se infusa Animæ Christi.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum per Scientiam infusam Christus omnia nouerit?

1. Respondetur affirmatiuè: Christus omnia naturalia & supernaturalia cognouit per scientiam infusam; exceptâ tamen essentia diuinâ.

DVBIVM I.

Vtrum Anima Christi per hanc Scientiam infusam cognouerit res omnes naturales; corporales scilicet & spirituales, quas Angeli per suam scientiam naturalem cognoscunt?

2. Affirmatur de rebus omnibus naturalibus.

2. Respondeo; Illam has omnes cognouisse, & quidem perfectius quàm Angeli cognoscunt. Ita D. Thomas hoc loco, & passim Doctores huius ætatis: & Marsilius in 3. Sentent. quest. 10. art. 2.

Probatur Primò, Quia si per solam naturalem scientiam Anima Christi ista cognouisset, longè

fuisset superata ab Angelis in cognitione rerum in proprio genere, siue extra Verbum: nam Angelorum cognitio naturalis erat longè perfectior, quàm cognitio naturalis Animæ Christi; vt suppono tamquam certum: atqui id minimè erat conueniens: quin potius sicuti cognoscebat eas in Verbo per cognitionem matutinam perfectius quàm Angeli; sic omnino erat consentaneum, vt etiam cognosceret eas in proprio genere per cognitionem vespertinam perfectius quàm Angeli.

Probatur Secundò, Hęc cognitio infusa rerum naturalium facile dari poterat illi animæ, & quidem in ea perfectione, vt superaret cognitionem Angelicam, idque illi quodammodo erat debitum: ergo re ipsa erat collatum. Confirmatur; Sicut enim voluntati datur virtutes supernaturales respectu eorundem obiectorum, ad quæ disponitur virtutibus naturalibus; ita intellectui potest conferri lumen supernaturale euident, ad eadem obiecta cognoscenda, quæ naturali lumine cognoscuntur. Nam idem obiectum materiale, respectu diuersi luminis, subit diuersam rationem formalem: vt patet in obiecto sensus & intellectus; in obiecto intellectus humani & Angelici. Pari modo in obiecto luminis naturalis & supernaturalis.

Ex his